ORATIO

HABITA IN FUNERE

JOANNIS PALATII

Canonici, ac Ducalis Eccleſiæ Vicarij, Bullæ Clementinæ Conſervatoris,

PLEBANI S. MARIÆ MATRIS DOMINI, ejuſdemque Congregationis Archipræsbiteri.

ANGELO TASSIS

In ejuſdem Titulis ſuffecto, Eidemque Congregationi

A JO: ANTONIO TASSIS

Eccleſiæ S. Apollinaris Alumno:

DICATA.

VENETIIS, MDCCXIII.

Apud Dominicum Loviſam.

SUPERIORUM PERMISSU.

COgitanti mihi, cujus potiſſimum tutelæ, primigenium hunc qualemcumque ingenioli mei fœtum crederem, non diù quærendus fuit, aut qui Oratoris benignus amplecteretur obſe-

quium, aut qui Orationis libens exciperet argumentum. Cui enim ſtudia ſua æquiùs aſſerere, quàm piiſſimo Patruo Nepotem devinctiſſimum, qui, quantuluſquiſque videri poteſt, ejus ſivè diſciplinæ providentiæ, ſivè liberalitatis impendiis, ſed multò magis ſpectatæ probitatis exemplis debet? Quo alio nomine Opuſculum hoc IOANNIS PALATII virtutibus ſacrum decuit inſcribi, quàm tùm Illius, qui illuſtrium Titulorum Succeſſor inſtitutus, per pares meritorum gradus ad gloriæ non minoris faſtigium nititur; tùm eorum, quos maximorum beneficiorum Hæredes, & Curatores, Dilecti Capitis deſiderium, revocatis præclaris ejuſdem monimentis, ſolari fas erat? Tu præſtantiſſimi Antiſtitis teneros annos Socratico ſinu ſuſcipientis Auditor; mox æmulator, modò vicibus ſuffectus, non modicum in ipſius præconiis, veluti in ſpeculo, laudum tuarum cumulum, licèt meritorum tuorum parciſſimus æſtimator, agnoſces. Vos Conſiliorum ejuſ-

dem

dem participes, neceſſitudinum memores, certè Congregationis Veſtræ decora relegere non pigebit. Tu hoſce imbecillitatis meæ conatus, ſi minùs laudandos, ſaltem non repræhendendos in beneficiorum tuorum fœnore cenſebis; Vos humanitatis Veſtræ facilitati imputabitis; Ab utriſque audacis munuſculi veniam impetrabit

Nepos addictiſs. Famulus Humillimus
JO: ANTONIUS TASSIS.

LECTORI BENEVOLO.

SEriùs equidem, quàm par erat, emeritis Manibus juſta perſolvimus; ſed nec ſerò fit, quod rectè peragitur, &, olim licèt, debitum, nunquàm non tempeſtivà ſolutione rependitur. Graviſſima, eaque diutina negotia, quibus hactenus diſtinebamur in hunc uſque diem differre coegerunt, quod ſtatim grati debebamus, ſemperque memores debebimus. Hoc te præmonitum volui, ne, ſi ingenium fortaſsè requires, paratæ ſaltem voluntatis calumniandæ rationes reliquas faceremus; neve videremur diù deliberaſſe, qui non ſatis impigrè fuimus executi.

ORATIO.

INditum unicuique ſtatim à primordio in ipſis ſeminibus, ex quibus coaluimus, ſui tuendi ſtudium maximè ſollicitum, atque innata ergà ſemetipſum charitas quædam peculiaris, ſummà ope adniti jubent, ut brevibus ſanè ſpatiis concluſum vitæ curriculum, quàm fieri poteſt latiſſimè pateat. Imbecillitati noſtræ adversùs ingraveſcentis ætatis iniurias, nullis viribus ſatis inſtructæ, quodammodò miſerta Natura, ſui ſimilium procreandorum facultatem liberaliter indulſit, ut marceſcens in ſtipite vitæ vigor, rursùs in ſurculis effloreſceret, & præmiſsà in ſeros Nepotes cogitatione, præcocem ſolarentur homines inſtantis fati neceſſitatem. At quantula mortalium Vita, vel ad extremum uſque ſenium producta, ſi ad immenſa in ſe ſe indeſinentibus vicibus redeuntia, temporum volumina, libeat revocare? Quàm anceps, quotque caſibus obiacens, poſterorum ſeſe per vices urgentium beata iſthæc tàm ex facili deſitura Succeſſio? Ratio demùm modici admodum lucis hujuſce uſus, nec valdè ſollicita, atque intereà Naturæ providentia ſolertior, aliud Vitæ genus longè diuturnius, atque ſecurius in demerenda poſteritatis memoria ſitum oſtendit. Profectò vivimus in nobis, reviviſcimus in poſteris; at præclaram, atque unicè exoptatam in Famæ modò monumentis immortalitatem nanciſcimur. Hæc porrò tùm ex rectè factis, iiſque, quæ publicam vtilitatem maximè ſpectant, tùm ex memori viventium prædicatione in unum veluti ſpi-

ritum coalita mutuæ utrorumque opis indiget, quò ſe ſe ab interitu omninò vindicet. Ut enim commiſſa ſulcis ſemina, quamlibet vitalis animæ contineant, niſi ubere facilis ſoli benignitate foveantur, intercidant neceſſe eſt, ibi demortua, ubi defoſſa; Ità ſanè claros Viros fato utique acerbiſſimo rursùs interire in promptu eſt, niſi gratà ſæculorum recordatione eorum geſta excipiantur. Quò JOANNIS PALATII vitam, moreſque ad æternam gloriam virtutis vià aſſiduè graſſatos ſummatim recolere ſum aggreſſus, ne ætas noſtra, ſeù recti ignoratione eximiorum exemplorum incurioſa, ſeù maligni ingenii improbitate, ingentium benefitiorum immemor videri poſſit. An è viri dignitate ſuſceptum munus expleverim aliorum eſto juditium; rem certè me facturum non ingratam coram ampliſſimo cætu ejuſdem meritorum teſte ſimul, & conſcio, mihi ipſi fidenter polliceor.

Longè fallitur quiſquis mutis, ſenſuque carentibus imaginibus nomini ſuo magnificè dicatis manſuræ in ſæcula Famæ ſectatur celebritatem. Non eſt cur quis, aggeſtà ingenti lapidum affabrè concinnatorum ſtrue, longioris ævi, obvia quæque torrentis modo ad exitium rapientis, vires infringere, ineptà ſibi perſuaſione blandiatur. Videlicet, qui æreis, marmoreiſve inciſuris memoriam ſui poſt commune fatum ſervandam commendat, non ut diutiùs viveret, ſed ut ſeriùs eſſet, vix proſpexiſſe videri debet. Secundum virtutem exactam vitam, eamdemque communis boni commodis liberaliter inſumptam, in ſui decus, in temporum famam traducenda manet æternitas. Hiſce ſtimulis præmaturus JOANNIS pubeſcentis ingenium ad grandia natum incaluit; Hæ cogitationes primam juventam exercebant. Res anguſta domi,

quæ

quę excelſæ quantumvis indolis animos, ſi minus transverſos agere, ſaltem iniquo pondere deorſum urgere conſuevit, egregiis conatibus adverſari videbatur. Hic ex avita hæreditate, nihil præter honeſtam diſciplinam, & quæ probis quidem moribus ultrò comes adiungitur, ſed coactæ tamen modeſtiæ exempla lucratus, nullis opibus ſuffultus, nulla majorum claritate ſpectabilis, iis artibus excolendis intendit animum, quibus tandem per obſtantia eluctatus ad eximiæ gloriæ culmen emergeret. In ipſis itàque puerilis rationis exordiis, ſervilibus quibuſque, ingentium quoque animorum vim enervem reddentibus, curis abiectis, nihil magis penſi habuit, quàm ut mores ad generoſitatem formaret, mentemque optimis ſtudiis imbueret; perſpicuum ſanè cunctis ætatibus ingeſturus argumentum, poſſe clarum ingenium de qualibet cute eniteſcere, nec ad prodenda præſtantiſſimarum virtutum ſpecimina opus eſſe fortunà. Obverſetur modò menti non Hercules ille Prodici commentis illuſtris, hinc voluptatis illecebris ad prona vitiorum impellentibus, inde decòra maſculæ virtutis ſeveritate ad arduum probitatis iter vocante, ancipiti cogitatione diſtractus; Verùm JOANNES jam de Vitæ ſuę certa ratione ineunda conſtituens humanarum neceſſitatum utilia magis, quàm honeſta Conſilia ſuadentium poſthabitis incitamentis, in unius honeſti perſequendi deliberatione defixus. A' Clericali Tonſurà, ſupervacuis ſæcularium negotiorum ſarcinis quibuſque reſectis, id eſt aſſecutus, ut ſibi jàm toti Deo vacare fas eſſet, ſeù ſanctioribus ſtudiis, ſeù miniſterio: Quàm impigrè, quàm ſtudiosè, quantoque cum profectu in altiſſimarum, earumdemque multiplicium doctrinarum diſciplinà acerrimi ingenii

ado-

adoleſcens verſatus ſit, matureſcentis ejus jàm ætatis eruditi labores, ſpontè ſuſcepti, necnon maximà cum laude expleta ab aliis delata ſibi munera abundè teſtantur. Cùm utrique Juriſprudentiæ ſedulam navaſſet operam, non diù intrà ignavæ meditationis ſecretum egregia mentis inventa latere paſſus nobiliſſimæ facultatis Candidatis Juris nodos evoluere, legumque ænigmata evulgare ſatagebat. Conveniebant undique famæ non ſemper mentientis præconia ſecuti, in legali palæſtra exerceri cupientes, ut ſub Sapientiſſimo Præſide Artis hujuſce Archytectonicæ tyrocinium auſpicarentur, præclarè ſecum actum exiſtimantes, quibus JOANNEM PALATIUM ſtudiorum Inſtitutorem, inter titulos numerare obtigiſſet. Nec falſum quemquam præconcepta Doctoris habuit opinio; ſeù Jus ſtrictum inuicto rationum robore aſſereret, ſeù nimiam ſeueritatem benignà interpretatione molliret, ſeù obſcuris lucem afferret, ſeù obſoletis gratiam conciliaret, ſeù perperàm intellecta genuinæ ſententiæ reſtitueret, ſiuè aliis intacta peregrinà novitate explicaret; adeò ut ſi cæteros Juriſperitos, vulgata appellatione, Legum Scrinia, Hunc Mentem nuncupari fas eſſe non dubitem. Jàm eximiæ doctrinæ fama intrà priuatos Scholæ parietes contineri neſcia, non vrbem modò, ex publico Lyceo, impleuerat, ſed ad externos uſque pervaſerat. Patavina Studiorum Altrix, nonniſi præſtantiſſimis ingeniis patens in Lectorum ſuorum Album curavit adſciſci, quodque alii ambitioſis votis expetunt, ac nonniſi impetranda gratioſi juditii indulgentià aſſequuntur, huic ultrò deferre ſibi cenſuit non indecorum, ut tanti Viri eruditione ornari, contubernio frui, nomine gloriari liceret. Sacrorum itaque Ca-

no-

nonum evoluendorum provinciam à Sapientiſſimo Senatu demandatam, frequenti Auditorum agmine ſtipatus, ſummo cum plauſu geſſit, adeoque ſingulorum exiſtimationi inter celeberrimas Orbis Vniuerſitates, nulli ſecundæ acceſſit auctoritas. Nec præſentibus tantum vivæ Vocis oraculis, ſed & naſcituris proſpicere arcana eruditione refertis editis lucubrationibus ſtuduit Vir de re litterarià optimè meritus, ut etiam nomine poſterorum nobis ei gratiæ agendæ ſint, ad quos utiliter evigilati ejuſdem labores ſunt perventuri. An non veteris, illi, Sapientiæ ſpiranti Muſęo, viventique Bibliothecæ Marco Varroni peculiariter tributam laudem, tanquam communem, jure ſuo JOANNI vindicabimus? Videlicet tàm multa ſcriptis mandaſſe, ut mirum ſit tam multis legendis otium ſuperfuiſſe; tàm multa lectione uſurpaſſe, ut mirari æquè ſubeat tàm multis ſtylo exarandis ferias nanciſci potuiſſe. Quot enim ex alieno quidem penu depromptis, veruntamen non in memoriam, ſed in ingenium excoctis, omnigenæ (ut Tullianæ elocutionis vires experiar) eruditionis helluo, ſua farcit opipare Commentaria? Quot ære proprio partas publici juris facit poſſeſſiones? Quàm varia, quàm ſolida, quàm ſublimi doctrina redundat, ſibi ubique par, ſuprà ſe ipſum ubique eminens? In dubiæ vetuſtatis ruderibus eruendis diligens, in veſtigandis abditis rerum Cauſis Lynceus, in ciendis pietatis ſtudiis vehemens, ſi quando, aut Hiſtorica enarrat, aut Dogmatica confirmat, aut Aſcetica pertractat, ſingulaque oratorià limà expolita, Attico nitore condecorat. Hactenùs otium ſtudiis in umbra educatis impenſum approbare conatus, communi vitæ excolendę occupati rationes reddere inſtituam. Eritne cuiquam credibile homini, quem

intrà

intrà tacitæ mentis ſepta ſedulæ vis meditationis in-cluſit, rebus agendis, ut ità dicam, foris egreſſo, aut ſuperaſſe tempus, aut non defuiſſe peritiem? Attamen utrumque JOANNES mirà verſatilis ingenii felicitate præſtitit, ut quod in vità beatiſſimum, præclariſſimis ſcriptis facta non minora coniungeret. Nemo magis ſe non ſibi natum eſse viſus eſt agnouiſſe. Adeò nunquam ab alienis cogitationibus vacuus, atque communibus jugiter commodis inſerviens, cum Eccleſia, quam rexit, cum Congregatione, cui præficiebatur, cum muneribus cæteris, quorum titulis in ſpeciem inſignitus, re verò diſtinebatur, ſtudia ſua partitus, ità uniuerſorum curam geſſit, ac ſi ſingulis præfuiſſet. Hominem multiplicem crederes, atque in vno PALATIO plures ineſſe. Quod de Corpore alterius tricipiti, alterius centimano fabulantur, in unum JOANNEM non fictè conveniſſe mirari æquum eſt. Tanta mentis providentià plurima, eaque inter ſe diſſita, ſimul complectebatur; tanta agendi vi plurima, eaque laboris plena, pariter expediebat. Ab Eccleſia, cui à puero ad Diaconi titulum miniſtraverat abſtractus, meritorum quidem alienæ Pareciæ imputandorum ſuffragiis ſtipatus, verùm communibus Votis vbique expetitus, in alterius Antiſtitem præponitur. Ille ſibi ſcrupulum iniiciens, ſi onus multò moleſtius quàm ſplendidum detrectare videretur, eligentium voluntatibus paruit, ut exemplo magis, quàm authoritate præſideret, magis morum Sanctitate, quàm dignitatis honore ſuſcipiendus. Optimi Paſtoris non mercede conducti, ſed ſtipendiis Charitatis operas ſuas elocantis probè nouerat officia. Itàque Illi neque deerat in prouidendo Conſilium, neque in agendo Induſtria, neque in præcauendis malis Vigilantia, neque in per-
ſe-

ſequendis utilitatibus diligentia , ut in crediti ſibi gregis cuſtodia, juratam Deo fidem abſolueret. Nulli demum ſollicitudinis impendio pepercit , ſi fortè opus eſſet, aut laxas ſæculi vitio diſciplinæ habenas intendere, aut frigeſcens in dies, fatali hominum vecordià, religionis ſtudium exſuſcitare, aut oues, alias in diuerſum abactas, humeris impoſitas in ordinem redigere, alias à Diuina ſcientià jejunas congruo doctrinæ pabulo reficere, jacentes alias, ſpiritualibus adhibitis fomentis, recreare. Intereà plurimis tùm probitatis ſpectatæ, tùm induſtriæ editis experimentis , Sacerdotalis cætus primus, Archipresbyteri titulo renunciatur. An præcellentium ejuſdem meritorum æquus æſtimator, an ſui ornandi ambitu adductus, an vtilitatis inde capiundæ ſpe illectus in JOANNEM ſibi præficiundo conſenſerit, non eſt facilè cuiquam judicare. Illud profectò neminem latet in ejuſdem privilegiis tutandis, nullum periculoſæ licet plenum aleæ certamen refugiſſe; quin etiam ſi privatis modò Conſiliis eidem præſto eſset, minimè acquieſcens, publicam vocem apud Judices commodavit, cauſamque diſerti patrocinii ſui viribus fultam victor ſuſtinuit. Quid ſupererat, aut augendæ dignitati, aut ingenii ſolertiæ oſtentandæ, aut indeficienti operoſæ mentis robori exercendo? Nimirùm Bullæ Clementinæ, grauiſſimo Decemvirorum Juditio collata Cuſtodia, in quà inter bonum ſubditum, probumque Eccleſiaſticum , ita medium ſe geſſit , vt æqua vtriſque Principibus jura ſervarentur, inviolataque permanerent, magno Vniverſæ Chriſtianæ Reipublicæ documento, Regnum, & Sacerdotium mutuis ſe ſe amplexibus fouere, Juſtitiamque Imperantium, Pacemque Eccleſiæ fidele inter ſe fœdus intaminatis oſculis ſancire. Soboleſcentibus quotidie in uberri-

mam

mam meritorum ſegetem Titulis, quibus donatus inclaruerat, nunquam ſibi ſatis grata videri cupiens, in Canonicorum Collegium Patria pridem cooptauerat, ac Ducalis Baſilicæ Vicariæ dignitati ſuffecerat; Tantumque apud Cæſarem ipſum æſtimatione, & gratia valuit, vt illi & Hiſtoriographi munus indiderit, & Conſiliarii decus adjunxerit. Magnis hiſce nominibus immò grauiſſimis pariter, ac negotioſiſſimis offitiis diſtrictus, nullis unquam ab improbo opere ſibi vacationibus impetratis, octuageſimum annum præclarus Senex attigerat. Adhuc tamen ceſſare neſciebat, Cæleſtium mores, irrequietà vertigine cieri gaudentium, æmulatus, quorum natura conſtanter ſequitur, quod nos ingratà laboris nomenclaturà refugimus, illudque ſeruans in pectore, quod olim Stoicam virtutem profeſſis erat in ore: Sapientem in actu mori oportere. Si ætatem, quatenùs homini producere datum eſt, ſpectes, ſatis vixerat; Si egregiè acta æſtimes, ſiuè numeres, diutiſſimè; Si noſtro deſiderio indulgere malumus, fato nunquam non prematurus fuerat eripiendus. Cernere erat Sacræ reuerendum vetuſtatis ſimulacrum, confectà ætate jàm quaſſum, ſed omninò animo infractum; antiqui moris exemplar rugis vndique conciſum, at vividi ingenii lineamentis extantibus floridum. Quantà cum alacritate funus ſuum circumferebat, corpuſculi jàm fatiſcentis parum ſollicitus, quia de meliore ſui parte ſecurus! Quàm ſtrenuè, quantaque cum æquanimitate irruentibus ultimæ ſenectutis incommodis obluctabatur, ac ſi minimè ad ſe pertinerent, aut non ipſum, ſed ipſius manticam tunderent! Eo animi habitu, vultuſque hilaritate ſupremum diem, jam propiùs aduentantem operiebatur, vt de ætate jam exactà faceret controuerſiam. Ex putri, & vndique de-

hi-

hiſcente corporis hujuſce domunculà, non modò non inuitum diſcedere, ſed & impauidum illius ruinam excepturum nihil de prioris vitæ intentione remittens, fidem faciebat. Naturæ legibus obſequi ſine murmure olim didicerat; in eòque præcipuam Religionis ſummam ſitam intelligebat, ſi Diuinis decretis ſatis apertè per naturæ vocem ſeſe prodentibus non modò non repugnans, ſed etiam libens paruiſſet. Demùm itaque cominùs cum morte congreſſus eà conſtantià ineluctabilem ictum excepit, quà nec vltimæ deſperationis furore obſtupeſcentes, & certà tantum bonæ Conſcientiæ fiducia obfirmati, cervicem ſubdere conſuevere. Nec eſt cur veluti fato jamdiù functum piis lacrimis proſequendum putemus. Vivit præſtantiſſimà ſui facultate ſuperſtes, Ingenio ſcilicet numquam interituris litteris commendato. Vivit Famæ ejuſdem rectè factorum memoriam recolenti præſens. Vivit poſteritati, cui ne ulla unquam ſui obrepere poſſit oblivio poſthumis, iiſdemque perpetuis benefitiis conſuluit. Quo enim Conſilio non mediocres opes diſtributæ, quas aut virtutis præmia contulerant, aut fortunæ benignitas congeſſerat; aut temperantiæ parcitas ſervaverat? Nimirùm, quà Deo dicatæ caſtitati, doti conſtituendæ, quà Eccleſiæ ſuæ, diſcipline ſtipendiis ſolvendis, quà miſerorum inopiæ allevandæ, quà ſucceſſorum ſuorum cultui exaugendo, univerſas erogandas, cum de mortalitate cogitaret, conſultiſſimus Teſtator decreuit. Quid hoc niſi procurationem quandam humani generis, juxtà ſapientium præcepta, pro ſuà virili ſuſceptam, adminiſtrandam poſteris tradere? & providentiam intrà preſentis vitæ cancellos coerceri impatientem, ad poſteriorum uſque temporum commoda producere? Erat dignum non tamen tranſcurri

Sol,

Sol, Lunave ſpectaculum, ſi otioſa tantum ſydera ſeſe oculis uſurpanda exhiberent; ſi nullo deſidis, attamen pulcherrimæ lucis uſu naturæ prodeſſent. Erat digna ſuſpectu præcellens JOANNIS virtus, etiamſi nullis fortunæ ornamentis extrinſecùs nitens, inopem, ſed auguſtam ſui ſpeciem hominum animis ingeſſiſset; quid diuitis fænoris acceſſione cumulata merebitur? Noſtri itaque offitii eſt ſæculi bona, futuris viſenda tranſmittere; eoque magis, vt quandoquidem non obiit cum homine utilitas, juditium poſt hominem perſeveret. Ille quidem, ut de optimo quoque fas credere ad ſuperos euocatus perenni beatæ vitæ poſseſſione jam fruitur, nobis prouidendum erat, ne ingrato ſilentio, emeritæ famæ excideret immortalitate.

Dicebam.

XXY
94-B17972

THE GETTY CENTER
LIBRARY